DE LÆSIONIBUS PRAECIPUIS IN NERVORUM TEXTU AB ANATOME...

Marco Cristini

DE

LÆSIONIBUS PRAECIPUIS
IN NERVORUM TEXTU
AB ANATOME PATHOLOGICA
DETECTIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

MARCI CRISTINI

BELLUNENSIS

MEDICAM LAURUM OBTINENTIS



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII.

AL CHIARISSIMO

ANTONIO BIADENE

DOTTORE IN LEGGE

I. R. CONSIGLIERE IN PADOVA

QUESTO PRIMO LAVORO

QUAL TENUE SEGNO

D'ETERNA RICONOSCENZA

CONSACRA

MARCO CRISTINI

14✓

Firmius sane rationalis nosologiae fundamentum ab anatome pathologica repetendum est. Ipsi et morbosae affectionis *localisationi*, quae unum fere idem constituunt, praecipui quotidiani medicinae progressus tribuendi sunt, atque ex neglecto pathologicae anatomiae studio ambages semper profluxere, quas de pathologia majores nostri proferebant. Anatome pathologica, uti Fridericus Hoffmann dicit, est lumen et fere medicinae oculus. Hoc lumen medicum ducit etiam in applicatione auxiliorum therapeusis, quum alia ex parte sine anatomiae pathologicae doctrina vera diagnosis omnino medicorum mentem fugeret. Anatome pathologica ablata, therapia andabatarum pugna foret, sicuti Laënnec sentit.

Incassum ergo medici nonnulli anatomen pathologicam indicia parvi facienda medicinae suppeditare censent; nam quamvis opponant

aberrationes complures in autopsia cadaverica detectas, non ex morbo sed agonis tempore, vel post mortem originem sumpsisse; aliasque potius ex therapeutico malo tractamine pendere quam ex ipso pathologico processu; tamen, Morgagni sententiam amplectentes, respondere possumus: ex hisce neminem decipi, ni oculis clausis quaestionem adgrediatur.

Verum tamen est quod morbi complures noscantur, qui nullam perspicuam modificationem in anatomicis conditionibus organis affectis ferant; id vero ab imperfectione procedit auxiliorum quibus directe in anatomico-pathologicis examinibus utimur, quum nec concipi queat morbus nullo modo organisationem afficiens.

Ab imperfectis auxiliis, ab exiguitate textuum, a neglecta diligentia opinio fallax processit quod morbi nervosi peculiari charactere distincti prorsus ab aliorum systematum affectionibus differant, nec ullam praebeant anatomicam laesionem; ac si nervorum textus vita non gauderet et exinde morbo in sua organisatione affici non posset, et nervosae molestiae tot idealia entia constituerent.

Temporis vero progressu et doctrinis anatomico-pathologicis in dies altiorem gradum perfectionis attingentibus, evictum est et nervos in compage sua innumeras laesiones organicas afferre, atque exinde et nervos ea ipsa ratione morbo affici ac textus reliqui omnes.

Hinc de praecipuis organicis laesionibus

nervorum sermonem habere hac die decrevi, qua studiorum meorum metam attingo, quum a legibus academicis officium mihi impositum sit de aliquo medico argumento disserere. Nec mirum si quorundam juxta mentem argumentum nimis forsan difficile infirmis humeris suscipiam, quum enim auctoris vires et ingenium desiderem, compilatoris tantum officium adgredior.

Anatomicae laesiones nervorum non semper symptomatibus respondent, immo saepissime vix perspicua anatomica aberratio symptomata altioris dignitatis comitatur, dum quandoque organica laesio nervosa non loco ubi molestiae manifestantur, sed prorsus alieno occurrit.

Quod super retulimus, de diversa sede nervosi symptomatis atque organicae aberrationis, clare demonstrat facilius consequenter incautos observatores in errorem incidisse quum de nervorum anatome pathologica sermonem haberent; nam loco, quo symptomata morbosa vita durante apparebant, investigato et normali detecto, nullam adfuisse organicam laesionem asserere non dubitarunt, dum haec conclusio ex neglecta observatione aliarum partium originem solummodo sumpserat.

Nec ultima causa fallacium sententiarum hoc de argumento prolatarum in eo sistit quod nervorum alterationes potius compagem intimam quam externam formam teneant et exinde facilius rudes sensus et indagines superficiales fugiant.

Praeterea etiamsi facta complura anatomico-pathologica collecta fuerint, parum utilitatis exinde scientia nostra transacto aevo recepit, quod haec facta sejunctim considerata seriem rationalem, systemati nosologico respondentem nunquam constituerunt, priusquam Marandel, Laënnec, Lobstein, Andral aliique celeberrimi huic scientiae necessitati, ingenio summo et studio indefesso, satisfacerent.

Clarissimus Andral in epitome anatomiae pathologicae, laesiones anatomicas nervorum considerans, eas dividit in illas quae nervos vitae relationis et quae magni sympathici systema laedunt. Dein seorsim examinans alterationes circulationis, nutritionis, secretionis ad singula vitia accedit.

Nervi differentias afferre possunt quoad colorem, magnitudinem, directionem, formam, consistentiam, tensionem, reproductionem, elasticitatem. Nervorum textus tenuior, gracilior esse potest; situs, forma molecularum, globuli, tubuli differre possunt, nec non quoad complanationem, rotunditatem, amplitudinem vel luminis restrictionem, ruputram canaliculorum, densitatem, colorem; praeterea nervi offerre possunt sarcomata, fungos, lipomata, cancros, concretiones calcareas etc.; uno verbo tot tantasque mutationes praebent ut plane difficile foret illas omnes exacte perpendere, nisi systematicum examen institueretur.

Hac de re methodus investigationis et di-

visionis, quae prae ceteris omnibus excellit, meam juxta sententiam, a clarissimo Professore Clinicae medicae Vindobonensis proponebatur.

Illius juxta divisionem, alterationes anatomico-pathologicae textus communes afficientes ab illis dispescuntur quae textum nerveum proprium laedunt. Primae referuntur ad systema sanguineum, cellulosum vel membranaceum.

De his aberrationibus sejunctim sermonem habere nitor pro mearum virium infirmitate.

Hyperhaemia, sanguinis excessus, tum in centris nervosis quum in nervis periphericis duos gradus admittit; primo enim sanguis rete capillare extendit quin effusus sit, secundo in nervea substantia exsudatus cernitur. Medicus autopsiam cadavericam instituens difficile statuere potest quod de nervorum hyperhaemia agatur, quum etiam in statu normali differentiae plures habeantur, pro diversis regionibus systematis nervosi investigationi subjectis, pro aetate, pro cadaveris positione aliisque innumeris circumstantiis. Ut exemplum unicum feram de hac varietate notandum puto, quod rubor in cerebro infantis physiologicus sit — idemque color qui forsan in adultis sanguineam congestionem detegere valeret in puero oligohaemiam sive anhaemiam indicaret. Hyperhaemia in nervoso systemate diversos adspectus assumit; frequentius vero colorem rubrum universe diffusum ostendit seu rubra puncta huc illuc dispersa. Color diffusus in centris nervosis

difficilius cernitur, si vero adsit fere nunquam generalis est; modo enim corticalem modo medullarem substantiam afficit. Substantia medullaris rarius colorem rubrum assumit, ni prope haemorrhagia contigerit; hic rubor vel pallido-roseus est vel magis intensus fere purpureus, dum e contra substantia grisea semper sub hyperhaemia rubore fusco plus minusve distinguitur. Puncta rubra frequenter in substantia medullari cerebri conspiciuntur. — Haec hyperhaemiae species *injectio arenosa* vocatur a Lallemand, quum pulpa nervosa fere purpurea arena huc illuc notata videatur. Tum punctula, quae sub sectione observantur majori numero sunt atque majorem sanguinis quantitatem emittunt, hicque fluxus continuat. In nervis periphericis difficultate summa hyperhaemia pulpae observatur; si vero locum habeat diffusus conspicitur color flavus non ruber. In centris nervosis quoque color ruber varias modificationes praesentat, et aliquando plane alienus fit, ita ut viridis, flavus, fusco-lividus, loturae carnis, vini rubri et sic porro adpareat: hae vero mutationes saepissime in extremis tantum hyperhaemiae stadiis occurrunt. Nec solum ab hyperhaemia pulpa nervorum afficitur quin immo frequentius membranae nervorum centra vel nervos periphericos tegentes vel penetrantes vascularem injectionem praesentant; ita phaenomenon anatomico - pathologicum hyperhaemiae nervosae circumferentiae ma-

gis perspicuum est ob nevrilematum injectionem.

Systematis nervosi anhaemia difficilius manifestatur; quum vero adsit nonnisi in centris perspicua est: tum cerebri superficies cerea adparet, substantia alba et cinerea pallidiores videntur, punctula rubra sub sectione patentia, omnino desiderantur vel saltem rariora sunt, vasa membranarum nervosum systema obvolventium sanguine carent. Haec pathologica conditio facile, si adsit, occurrit in illis, qui repetitas et immodicas venaesectiones passi sunt vel potius sanguinea copiosissima profluvia cujusvis generis. Hujusmodi casus plures a Billard aliisque referuntur. Quod vero in vita medicum diagnosim ferentem decipere potest est excitatio functionum nervosi systematis, quae saepe cum anhaemia quandoque observabatur in morbis quibusdam, quorum symptomata cerebri irritationem indicabant.

Sic initio morbi et anhaemia et hyperhaemia levi gradu irritationis phaenomena ferunt, dum gradu altiori prostratio virium perfecta in utraque aberratione contingit.

Casus non rari sunt ab auctoribus relati, in quibus symptomata nervosae irritationis adauctae, substantiis stimulantibus validissimis propinatis, disparuere.

Sanguinis effusio, sive haemorrhagia nervosum systema afficiens vel in superficie externa nervorum, vel in cavitatibus centralibus,

vel deinum in ipso textu nerveo haberi potest. Modo parva sanguinis quantitas a membranis obvestientibus collecta invenitur, modo sanguis circa peripheriam nervorum effusus stratum uniforme plus minusve densum efformat. Effusio in cavitatibus rarius locum habet, et quum, in apoplexia v. gr., sanguis in ventriculis cerebri collectus inveniatur, id frequentissime procedit ex abnormi nova communicatione superficiei externae cum interna cavitate, quapropter sanguis in peripheria effusus ad centralia fertur. Effusio sanguinis in substantia nervea ipsa omnium frequentissima est. Cavitates a sanguine collecto formatae modo minimae, modo majores sunt, pluresque differentias quoad numerum praesentant. Sanguis effusus, quocumque loco et modo, coalescit, uti dum e vena extrahitur et aëri exponitur; dein crassamentum metamorphoses complures patitur. Ita si exsudatio recens sit haud difficulter distingui potest in cadavere; sanguis enim suos characteres servat, sed post aliquod tempus quum serum a crassamento divisum sit, quum pars fluidior et partes colorantes absorbeantur, fibrina sola remanet, quae varios colores offert, modo flavum, modo pallidum, modo album etc., et sic nonnisi summa diligentia adhibita, et omnibus phaenomenis morbosis in vita occurrentibus cum iis quae ab anatome pathologica deteguntur pensitatis, a steatomatibus aliisque morbosis productis distingui po-

test. Aliquando vero temporis progressu, si praesertim secretio circa effusum sanguinem per irritationem a novo corpore productam augeatur, fibrina collecta emollitur et absorbetur — talique pacto vel cavernae vacuae remanent, vel nova indifferenti productione saepe lymphatica implentur, vel denique cicatrisatio contingit. Non raro emollitio nerveae substantiae ab haemorrhagiis derivat, idque clare procedit ex sanguinis sero, quo partes exsudationi proximae imbuuntur, vel etiam ex aucta secretione serosa partium circumstantium, quod functionis augmentum ab irritatione mechanica novi corporis prementis derivat. Fusius de emollitione tractabimus laesiones directas, in textu nervoso observandas, speciali examini subjicientes. Si causam investigemus, ex qua proxime haemorrhagia in nervoso systemate derivat, exhalationem capillarem sanguineam praesertim nominare debemus; sed casus quoque non desunt in quibus haemorrhagia a ruptura vasorum originem sumit. Id frequentissime occurrit propter causam mechanicam majoris fluidi copiae in vasis contentae vel etiam ob elasticitatem parietum venarum et arteriarum amissam, uti in lithiasibus; dum aliquando ruptura per diabrosim succedit, nempe via chemica, quum vasorum habeatur erosio a pure sive sanie collectis inducta. Effusionum symptomata in vivo occurrentia cum symptomatibus hyperhaemiae ad amussim conve-

niunt — phaenomena nempe sunt compressionis nervosae.

Serum, quod physiologice in systemate nervoso adest, vel auctum vel imminutum esse potest; haecque vitia ad laesiones anatomico-pathologicas referuntur. Augmentum vel defectus seri eadem phaenomena praebent, et re quidem vera serum centra nervosa defendit a compressione thecae osseae, talisque compressio haberi quoque potest ex sero aucta quantitate. Seri exsudatio sive defectus non modo in centris sed quandoque etiam in peripheria locum habet. Si penitius investigare tentemus seri effusiones in systemate nervoso contingentes, easdem divisiones admittere debemus atque observationes repetere quas de sanguinis exsudatione retulimus. Notandum solum quod, quum in statu physiologico serum habeatur in nervei systematis cavitatibus, tum tantum illius praesentia morbosa haberi mereatur, quum quantitas excedat, si v. gr. plus quam duae seri unciae in quatuor ventriculis cerebralibus inter se communicantibus colligi possent. Exsudatio seri facilior hisce in ventriculis accidit.

Puris et lymphae plasticae secretio aeque ex inflammatione procedit diverso gradu diversisque modificationibus saeviente. Puris exsudatio in nervis non semper inflammationem indicat eo loco adfuisse quo abscessus reperitur, nam et hic metastases contingere possunt. Lympha plastica facile colligitur in peri-

pheria membranarum nervos obvolventium, vel etiam inter fibrillas nervosas. Lympha plastica partes organicas amissas reparat et sejunctas conjungit, atque quod in aliis textibus contingit etiam in nervoso systemate locum habet. Ita in nervis sectis semper observatur turgor plus minusve perspicuus juxta quantitatem lymphae exsudatae. Si excedat haec collectio tumores nervei efformari possunt, qui nevromata dicuntur, et non ex degeneratione substantiae sed tantummodo ex exsudata lympha originem obtinent. Pus in nervis collectum plures differentias offert, modo enim viride est, modo flavo-viride, modo albo-flavicans, modo album, modo floccosum, modo tenue, modo foetidum etc. Ita et conditio differt partium quibus pus insistit; hae vero frequentius vel emollitae vel hyperhaemia distinctae observantur.

Praeter humores effusos et abundanti copia collectos quos nominavimus, novae quoque productiones plasticae, pseudoplasmata constituentes, in systemate nervoso deteguntur. Haec pseudoplasmata quae magis ad naturam vegetabilem accedunt rite distinguenda sunt a productionibus quae animalem indolem assumunt. Pseudoplasmata vegetabilia substantias referunt albuminosas vel pinguedinosas, quae sicuti tumores aliarum partium vitam vivunt parasitam, et sensim sensimque ad altiorem gradum individualitatis propius accedendo vascula propria et, uno verbo, perfectiorem assu-

munt organisationem. Gendrin, Leveillé, Ollivier, Berard etc. tuberculosas productiones in systemate nervoso occurrentes illustrarunt. Haec tubercula in infantia frequentius habentur. Quoad formam hae productiones similes sunt tuberculis aliarum regionum, dum magnitudo a grano millii ad ovum gallinaceum ascendat. Habentur quoque in nervis scrofulosi tumores, ita ut non infrequenter et steatomata et lipomata detegi queant; nec casus desunt in quibus fungi medullares aut haematodes, vel etiam scirrhosae aut cancerosae degenerationes offeruntur. Ad degenerationes quoque potius quam ad productiones novas referri possunt nevromata maligna, quae plane a superius nominatis lymphae plasticae collectionibus differunt, haec enim facillime in colliquationem et exulcerationem depascentem vergunt.

Tandem inter laesiones systematis nervosi, quae textum nerveum ipsum indirecte tantum afficiunt auxiliaria systemata directe alterando, etiam entozoa recensere oportet. Haec facilius in choroideo plexu detecta sunt; sed non modo in centris verum etiam in peripheria observabantur uti v. gr. in retina. Solae species horum animalium quae in hominis nervoso systemate inveniebantur sunt acephalocystis et cysticercus. Saepe numerum observatores notant praegrandem horum vermium in nerveo textu cadaverum. Praeter vero species vermium, quas retulimus, in homine observandas, animalia et

acanthocephalos tenent, quos inter praesertim polycephalum, qui saepe in hircorum cerebro evolutus causam frequentissimam sistit vertiginis, juxta communem zoojatricam sententiam. Agnus paraplegia peremptus, cujus Dupuy autopsiam cadavericam instituit, hujus generis vermem in parte lumbari spinalis medullae praesetulit.

Tali ratione breviter expositis laesionibus anatomico-pathologicis systematum auxiliarium, nunc transeundum ad illas, quae directe nervorum substantiam occupant. Hae aberrationes cum prioribus uniuntur, vel etiam sejunctim adesse possunt, dum vitia aliorum systematum jam relata semper, temporis saltem progressu, et textum ipsum nerveum turbare debeant.

Ad haec vitia referuntur defectus vel excessus in nervoso systemate. Anevria totalis vel alicujus saltem partis, quod saepius accidit, tum observatur frequenter quum arteria socia desideretur. Anencephalia, hemicephalia, amyelia etc. hic recensentur. Nec desunt in systemate nervoso fissurae huc illuc occurrentes, quae ex defectu nervosi plasmatis fluunt. Hypernevria habetur non modo in bicephalis, bicorporeis, tricephalis etc., sed aliquando in nervis periphericis quin alia systemata organica numero aut mole excedant.

Hxpertrophia et atrophia nervea a superius expositis aberrationibus probe distinguen-

dae sunt. Non sanguinis quantitas in hypertrophia praevalet, non tumores inquilini normales sive novae formationis volumen nervorum augent, sed moleculae nervosae ipsae quoad molem auctae deteguntur. Exinde fit ut in cerebro pulpa nervea thecae osseae non respondeat et compressionis phaenomena in vita praesto sint. Plerique epileptici nullam aliquando organicam laesionem obtulerunt praeter hoc vitium. In cerebri hypertrophia circumvolutiones magis proximae et complanatae sunt, nullo intervallo dividuntur, meninges encephalo strictissime applicitae et fere adhaerentes massam auctam illius amplius continere non posse videntur. Substantia nervosa magis compacta pressioni validius resistit, sanguinis parcam colligit quantitatem; ventriculi vix perceptibiles sunt nec serositatem solitam continent. Ceterum cerebri textura nullo modo mutata invenitur. Cerebri hypertrophia aliquando partialis esse potest. Cerebellum rarius hypertrophiae indicia praebuit; dum medulla spinalis vel partialiter vel totaliter hypertrophica pluries observabatur; tum volumen majus praesentat, majorem tenacitatem, sanguinis penuriam et exactissime occupat cavitatem cerebralem. Non raro hypertrophiae medullae atrophia conjungitur aliarum partium systematis nervosi. Quamvis difficile nervorum peripheriae hypertrophia detegi possit, non desunt tamen auctores fide dignissimi, qui hoc vitium invenisse asserunt.

Ita clarissimus Bichat nervos hypertrophicos observavit in organis, quorum nutritio laesa est, et praesertim cancerosis affectionibus laborant.

Quae de hypertrophia diximus de atrophia quoque repetenda sunt; haec oppositis characteribus manifestatur. Notandum tamen est quod tum hypertrophia tum atrophia vel absolutae vel relativae esse possint ad aliorum systematum evolutionem. Nec attentione indignum esse censeo quod saepissime augmentum nutritionis partis alicujus nervei systematis cum defectu alterius procedat; talisque lex antagonisticae evolutionis praesertim intercedit inter gangliare et cerebro-spinale nervosum systema. Atrophia partialis, quae frequentius anatomico examini subjiciebatur, opticum nervum tenebat. Tum medullaris nervi substantia plane fere desiderabatur, atque in nervi centralibus partibus materies subobscura semidiaphana inveniebatur. In nervorum atrophia nevrilemata frequenter majorem crassitiem ostendunt, haecque crassities saepe atrophiae originem praebet, propter compressionem et negatum exercitium.

Quum de nervosa atrophia sermonem habeamus in mentem quoque revocare debemus exulcerationes quasdam in nervis contingere ex quibus materies destruitur plasmatis nervosi; et consequenter huc illuc defectus substantiae inveniuntur, et in nervis non modo

periphericis verum etiam in centris, perfectae continuitatis solutiones occurrunt. Hujusmodi generis casus in medicis historiis inveniuntur, atque celeberrimus Morgagni nos monet: « cor-» pus striatum a reliquo cerebro omnino se-» paratum inventum fuisse. »

Sub nomine emollitionis nervorum sive malaciae illa intelligitur conditio in qua nerveum systema talem consistentiae imminutionem praeseferat ut nervosa substantia in liquidum mutari videatur. Lallemand, Rostan, Bouillaud hanc alterationem exactissimis indaginibus prosequuti sunt, et dignissimis scriptis illustrarunt. Priusquam vero de emollitione judicium feratur in mentem reducere oportet quod differentias plures tenacitatis nerveum systema offerat pro variis aetatibus, pro variis regionibus corporis aliisque circumstantiis, quin nec vestigium morbi habeatur.

Malaciae plures gradus agnoscimus — primo stadio emollitio nonnisi tactu percipienda est, in secundo etiam oculis patet, in tertio perfecta adest liquiditas partis alicujus nervosae, in quarto denique solutio continuitatis inter nervosi systematis varias regiones observatur ob emollitionem et subsequam absorptionem substantiae intermediae. Malacia vel rubra vel alba esse potest. Malacia rubra saepissime inflammationis exitus est et corpuscula offert a sanguine constituta. Globuli sanguinei, qui sub inflammatione copiosiores sunt capillaria ingre-

diuntur, locum petunt irritationis et facile coalescunt. Serum tum globulos solvit, et materie colorante globulorum tingitur, ita ut per capillarium parietes exsudans, rubro colore distinguat parenchymata circumstantia, jam emollita per vegetationis processum imperfectum. In posterum etiam maceratio parietum vasorum contingens faciliorem reddit fluidi exsudationem et nerveae substantiae malaciam. Malaciae rubrae, licet in genere frequentiores sint, in cerebro tamen raro advertuntur. Malacia alba pendet a substantiae pinguedinosae et albae praevalentia prae plasticis et solidioribus ergo repetenda est a defectu nutritionis. Malacia aliquando nervos periphericos afficiens transverse innervationis trunci inferioris functiones destruit — etiamsi linearis sit.

Etiam durities seu scleroma in nervis quandoque occurrit. Irritatio et nutritionis augmentum huic vitio favent. Illius plures gradus agnoscuntur. Duritiei gradus inversa ratione cum diffusione sua est, sicuti etiam in malacia contingit. Scleroma nerveum altioris gradum cartilagineam duritiem habet. Difficile distingui potest nervea durities a pseudoplasmatibus fibrosis, cartilagineis etc. quoad vero causam proximam, uti malacia procedit a praevalentia partium fluidarum, ita scleroma ab albumina et solidioribus substantiis excedentibus pendet.

Praeter vitia quae huc usque recensuimus etiam alterationes in fluido nerveo, cujus prae-

sentia nuper evicta est, admittere debemus; hae mutationes tum ad quantitatem tum ad qualitatem fluidi ipsius referri possunt: quum vero et physiologica conditio humoris ejusdem sensus nostros fugiat ita per analogiam tantum hucdum de hujus substantiae pathologicis laesionibus judicium ferre valemus.

En aberrationes praestantes, quas in nervis anatome pathologica deprehendit, priusquam vero, examen instituendo cadavericum, sententiam proferamus de morbosa conditione, recordari necesse est differentias existere proportionis, nexus, coloris nervosi systematis juxta aetates et species diversas; immo hae differentiae etiam in eodem individuo observantur nec raro post mortem vel in agone locum habent. Ex dictis clare patet quam difficile sit saepe saepius nervorum anatomico-pathologicas laesiones deprehendere, quapropter nulla explorationis methodus in cadaverum dissectione praetermittenda est, nec processus matematici, mechanici, physici et chemici hac de re sunt negligendi. Revera dissectio mechanica nisi explorationis auxilium suppeditat, dum pondus mathematice et indoles substantiarum physicis atque chemicis processibus indagari debeant. Chemica analysis in autopsiis cadavericis nimis est neglecta, idemque de microscopii usu repetendum, ex quo rite adhibito et magis diffuso progressus notabiles anatome pathologica nervorum assequi valeret.

Theses Defendendae

I.

Anomaliae complures in nervorum textu occurrentes non sunt habendae uti morbosi processus consequentiae.

II.

Licet aberrationes plasticae in nervorum morbis plerisque medicorum oculos fugiant, tamen, nullo casu excepto, admitti necessario debent.

III.

Aër atmosphaericus liber inter potentias, quae a contagiis praeservant, recensendus.

IV.

Utilitates, quae in morbis plerisque ab acupunctura observantur, ab electricitate repetendae sunt.

V.

Omnes organismi functiones strictissimo sensu ad secretionum leges reduci queunt.

VI.

Plerumque muscularium virium activitas cum perfectione respirationis pari passu incedit.

VII.

Nulla substantia per se absolute therapeutica virtute gaudet.